



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XI. Triginta quatuor postulata, à Gallicis Oratoribus Regis nomine Legatis tradita. Lotharingi de his significatio. Gualterius Romam profectus, cum Pontifice de iisdem acturus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

Triginta quatuor postulata, à Gallicis Oratoribus Regis nomine Legatis tradita. Lotharingi de his significatio. Gualterius Romam profectus, cum Pontifice de iisdem acturus.

Litteræ Legatorum ad Borromæum, 4. Ianuarij 1563.

Assidui cœtus peragebantur, cùm denique Gallicari Oratores tertio Ianuarij detulerunt Legatis^a expectatas ipsorum postulationes, easque legerunt, ac misso die postera illarum exemplo, ipsos incredibiliter sollicitarunt ad eas proponendas, affirmantes, Regem Synodi iudicio rem commissurum. Legati petito ad deliberandum spatio, cum Lotharingo eodem die post conuentum habuere sermonem, tria summatim complexi. Ac primò quidem ipsum percunctati sunt, An ea omnia postulata ex eius sententia proferebantur. Secundò demirati sunt, quàmnam ratione, ipso iam pollicito cuncta, priusquàm Concilio proponerentur, communicatum iri cum Pontifice, nunc ab Oratoribus tam festinanter stimulantur Legati ad ea proponenda. Tertiò illum rogarunt, ne tantisper eadem vulgarentur, dum de mente Pontificis certiores fierent: sed hæ preces veriùs querelam sonabant, quòd iam multa exemplaria circumferrentur.

Lotharingus per summam comitatem candoremque respondit. Ad primum, quædam ex illis postulatis haud sibi probari, idque se patefacturum conuentui die postero, si eo die sibi sententia super illis proferenda esset. Quod si quis à se quæreret, cur ipse ea non impedierat, cùm secreto Regis Consilio interesset, & in Oratores auctoritatem obtineret, responsum reddi, eam auctoritatem exercitam à se fuisse in re quæ magis vrgebat, nimirum in Oratoribus vetandis, ne tum duriora proponerent, velut abrogationem *Annatarum*, tum alia Religioni perniciosa; idemque se in posterum præstaturum in iis omnibus quæ læderent conscientiam, cui numquam reluctaturus fuisset, etiamsi Regis imperio adurgeretur. Sed cùm tradita postulata huiusmodi non essent, & ea regium Consilium unanimi consensu comprobasset, noluisse illis obstitere; siquidem, pro ut rerum mortalium conditio variat, fieri potuisset, vt aliâ tempestate super his quispiam ab eo ipso peteret rationem, quæ super quibusdam à se gestis petita fuerat Henrico & Francisco II. viuentibus; quod suos ob oculos semper obuersabat.

Ad alterum dixit, Oratores festinare ob accepta ea de re mandata, & quò notam in se delerent Synodi protrahendæ. Verumtamen

tamen communicarent antè Legati rem cum Pontifice : numquam enim Cardinalem ac Præsules Gallicos ab officio recessuros. 1563.

De tertio affirmavit, Suum fuisse votum, vt petitiones laterent in arcano, donec Pontificis responsa Legatis redderentur : sed Oratores satius existimasse illas euulgare, compluribus Patrum petentibus, præsertim Italicis, qui hærebant solliciti de iis quæ fama iactitaret, cuiusmodi erat inter alia, Patriarchatum totius Galliæ petendum iri in ipso Cardinali collocandum. Quamobrem ad has extingendas nugas rem celerius emanasse.

Postremò spem plurimam fecit successus prosperi, pollicitus ad id nulli se labori siue corporis siue mentis parsurum.

3 Ea postulata Romam Legati miserunt eodem die, & altero interposito, ad Pontificem legarunt Gualterium^b, qui illi exprimeret, quæ sibi à Lotharingo concredita fuerant. In his tria falsò narrat Suavis; vnum, dum ait, Propositum fuisse à Legatis Lotharingo Gualterium, qui ea de causa Romam mitteretur, & assensum fuisse Cardinalem : sed verum fuit, ab illis Vicecomitem antehabitu, selectumque ad eam missionem fuisse, ratis, operam Gualterij Tridenti magis quàm Romæ profuturam : sed cum obuensset necessitas Vicecomitem præmittendi, & interim Lotharingus Gualterium proposuisset, sicuti narrauimus, à Legatis eo petente delectus est.

^b Literæ Legatorum ad Pontificem & B. 110. mæum, 5. Januarij 1563.

Alterum, dum refert, Gallorum postulata per Gualterium fuisse ad Pontificem missa. Ita statutum fuerat : sed cum postea innotuisset Legatis, complura exempla Tridenti circumferri, adeoque multa etiam Romam mitti per tabellarium, qui tunc in viam se dabant, noluerunt ea aliorum prius operâ quàm suis litteris in Aula conspici, adeoque per eundem tabellarium illa miserunt.

Sed hæc duo errata digitalia sunt, tertium palmare, dum narrat, Gallos postulata deferentes contestatos fuisse apud Præsides, vbi satisfactum sibi non fuisset in Oecumenica Synodo, se sibi satisfacturos in propriis suæ nationis Conciliis. Ex opposito res contigit : nam Oratores per summam reuerentiam exposuere, Regem Synodi iudicio cuncta commissurum ; idque præstitere non per modum liberæ comitatis, quâ liberum sibi foret sua verba tamquam vrbana, non tamquam obstringentia interpretari, sed per solemnem expressionem, affirmantes, Regem existimare, talem esse in illis argumentis supremam Concilij auctoritatem. Idipsum quoque scripto significarunt in earundem petitionum exordio, quas postea referemus, & habentur latinè & gallicè in libro sæpius à nobis producto.

Historia
Concilij Trid.
Sess III.
Sess IV.
Sess V.

1563.

Enimuerò si iussi fuissent Oratores postulata proponere per eam declarationem obfirmatæ voluntatis, quam Suauis comminiscitur, non tam facile dixisset Lotharingus Legatis, sibi multa displicere, & paratum à se animum geri ad ea reiicienda posttridie, si eo die proponerentur.

Summa petitionum, quæ scripto continebantur, hæc erat. Principio dicebatur, ea seriùs tradi, quia Cæsar eadem ferè suo scripto proposuerat. Sed quando res protrahi videbatur, noluisse Regem ampliùs cunctari, cum affirmaret, se probè nosse, earum rerum cognitionem ac iudicium ad Synodum liberè pertinere. Dein in peculiaribus capitibus, quæ triginta quatuor erant, petebatur.

I. Cum adeo necessaria esset in Ecclesia continentia Sacerdotum, non nisi ætate maturâ promouerentur, & populi testimonio commendati, quod ipsorum futuræ probitatis pignus foret.

II. Ne cuncti sacri Ordines die vnico, eodemque tempore conferrentur, sed post interuallum, per Canones præscriptum.

III. Ne quis ad Presbyteratum assumeretur, nisi vno eodemque tempore aut prouentus ex Sacerdotio, aut ministerium ipsi impertiretur, ex Concilio Chalcedonensi; siquidem antiqui Patres titulos ad suscipiendos Ordines, postea excogitados, non agnouerant.

IV. Vt Diaconis, aliisque ad sacros Ordines euectis functiones veteres redderentur, ne dici posset, esse nuda nomina, & in solis ceremoniis sita.

V. Vt Sacerdotes, & ij qui sacris Ordinibus initiati admouebantur ad Ecclesiæ ministerium, se in sua vocatione continerent, nec alia exercerent munera, nisi quæ Diuinum ministerium decerent.

VI. Nemo crearetur Episcopus, nisi ætate legitimâ, ac præditus cunctis dotibus necessariis ad docendum, ad bonum exemplum aliis præbendum, & ad exercendum munus suum per seipsum.

VII. Idem proportione seruaretur in Curionibus.

VIII. Nemo constitueretur Abbas aut Prior in Cœnobiis, nisi sacras Litteras in celebri aliqua Academia professus fuisset, & ad magisterium aliùmve gradum promotus.

IX. Vt Episcopus siue per se, siue per alios à se substitutos, quotquot Diœcesis postularet, concionaretur cunctis diebus Festis, cunctisque Quadragesimæ, Aduentus aut ieiunij diebus.

X. Idem præstarent Curiones, dummodò auditores haberent.

XI. Vt Abbates & Priores in Cœnobiis sacram Scripturam interpretentur.

terpretarentur; instituerent Xenodochia; adeoque scholam & hospitalitatem veterum temporum Cœnobiis restituerent.

XII. Ut qui Sacerdotium obtineret, & illud administrare per se ipsum nequiret, aut adiutorem acciperet, aut illud relinqueret.

XIII. Ut de Catechismo doctrinæque Christianæ compendio id fieret quod Cæsar proposuerat.

XIV. Ne vni eidemque plura Sacerdotia concederentur, sublato discrimine veteribus ignoto, *compatibilium & incompatibilium*, quod multas Ecclesiæ calamitates intulerat; & regularia Sacerdotia regularibus, non regularia non regularibus traderentur.

XV. Ut qui reipsa plura Sacerdotia obtinebat, aut illud solum retineret quod breuè sibi elegisset, aut in pœnas veterum Canonum incideret.

XVI. Quò sordes omnes ab Ordine sacerdotali remouerentur, curarent Episcopi, aut per Sacerdotiorum coniunctionem, aut per decimas; & vbi hoc fieri non posset, curarent Principes laici, vt collatis à plebe pecuniis, valeant Curiones se, & duos pluresque Clericos alere, & hospitalitatem exercere.

XVII. Ut in Missis Parœciarum è suggestu exponeretur clarè Euangelium; & precatioes illæ, quæ illic habentur, à populo, præeunte Parocho, vulgari linguâ recitarentur; & absoluto sacrificio preces vulgari sermone recitarentur; quo tempore liceret populo decantare sacras cantiones, aut etiam Psalmos, in idioma vulgare conuersos, & rectè prius expensos, si Episcopus id opportunum arbitraretur.

XVIII. Ut renouaretur Decretum Leonis ac Gelasij, de sumenda Eucharistia sub vtraque specie.

XIX. Quò cuncti, ac præcipuè idiotæ, vim ac virtutem Sacramentorum in eorum singulis intelligerent, præmitteretur linguâ vulgari breuis quædam explicatio illius quod reipsa administrabatur.

XX. Ne secundùm antiquos Canones Sacerdotia darentur exteris, neque à Vicariis, nec ab ipsis Ordinariis, quorum industria in hac electione præcipuè exerceri debet. Quod si ea intra sex menses non darentur, aut indignis darentur, potestas transfiret in proximè superiorem, & gradatim ad Pontificem, ex Concilio Lateranensi: collatio autem aliter à quocumque peracta, esset irrita.

XXI. Ut mandata distribuendi *Expectatiuas*, *Regressus*, & *Commendas*, reuocarentur, ac reicerentur ab Ecclesia, quippe Decretis aduersantia.

XXII. *Resi-*

Historiæ
Concilij Tridentini
Lib. 19. Cap. 11.
1563.

1563.

XXII. *Resignationes* pro certo quouis capite, omnino extinguerentur ab Aula Romana, cum per Canones interdicatur, ne quis successorem sibi quærat aut seligat.

XXIII. *Prioratus* simplices, quibus contra ipsorum institutionem subtracta fuerat animarum cura, in Vicarios translata cum modica mercede, vbi primum vacarent, in vsum pristinum reponerentur.

XXIV. Cum in multa Sacerdotia abusus inductus fuisset, vt scilicet carerent onere administrandi Sacramenta, aut concionandi, aut similibus functionum, Episcopus de Capituli consilio aut curam aliquam rei sacræ illis imponeret, aut coniungeret cum propinquantibus Parœciis; cum Sacerdotium absque munere nequam deceat.

XXV. Ne pensiones in posterum imponerentur, & vt iam impostæ tollerentur.

XXVI. Vt restituerentur Episcopis in vniuersa Diœcesi Ecclesiasticæ iurisdictiones, exceptis Ordinum capitibus, & Monasteriis, quæ illis subiecta sunt, & quæ celebrant Comitæ generalia, aut probant perspicuis monumentis complurium sæculorum immunitatem. Et prospiceretur, ne illa quidem fruerentur plenâ immunitate à correctione.

XXVII. Cum debeant secundum Canones Episcopi negotia gerere ex Capituli sententia, curaretur, vt Canonici essent assidui in Cathedralibus, ornati bonis moribus, & saltem vigesimum quintum annum attingerent; ante quem lex non existimat hominem idoneum, ne priuatis quidem rebus regendis.

XXVIII. Vt retinerentur veteres, & noui constituerentur gradus propinquitatis, tum ad carnem, tum ad spiritum attinentis, intra quos per nullam relaxationem licitum esset connubium, exceptis Regibus ac Principibus, boni publici gratiâ.

XXIX. Cum eâ ætate repullularent Iconomachi, vnde plurima perturbatio exorta fuerat, prospiceret Synodus, vt veram ea de re doctrinam populus doceretur; quod si quæ superstitio aut abusus inductus fuisset, aut in hoc, aut in peregrinationes, aut in sacras reliquias, aut in sodalitia, aboleretur.

XXX. Quoniam sæpè ob enorme delictum populus integer diuexatur, restituerentur Ecclesiæ non modò publicæ pœnæ ob publicas & graues culpas, sed publici luctus ac ieiunia, ad Diuinam indignationem placandam.

XXXI. Cum anathema sit validissimum telum Ecclesiæ, ne vibraretur

braretur nisi ob grauissimas noxas, in quibus persisteret reus post secundam & adhuc post tertiam admonitionem. 1562.

xxxii. Ut cum litigia de Sacerdotiis Ecclesiam penè totam contaminauerint, non solum tolleretur recens discrimen Iudicij *petitorij & possessorij*; sed remouerentur nominationes, Academiis concessæ à Synodo Basileensi: atque Episcopis mandaretur, vt ex S. Gregorij effato Sacerdotia concederentur non ea quærentibus, sed fugientibus, ac promerentibus. Illa generatim promereri eum, qui postquam in scholis gradum aliquem conscenderit, aliquamdiu concionatus fuerit cum Episcopi destinatione populiq; comprobatione. Obtenatà ab Episcopo collatione, aut à Domino nominatione, ne superiori fas esset, alij Sacerdotium conferre; nisi, qui alterutram obtinuisset, à Iudicibus declararetur indignus.

xxxiii. Vbi lis oriretur de potestate collationis, aut nominationis, vt primò destinaretur ab Episcopo Oeconomus, qui prouentus omnes colligeret, cunctisque oneribus Ecclesiæ satisfaceret, deinde litigantes conuenirent in eligendis quibusdam viris Ecclesiasticis doctrinâ præditis, qui ad summum sex mensium spatio iudicaret, haud admissa prouocatione: aut vbi prouocatio admitteretur à Synodo, interim sententia deduceretur in opus, nec vnquam adstringeretur vel Oeconomus, vel qui priorem sententiam obtinuit, ad restituendos fructus à se perceptos lite pendente; vtpote qui solum conuertendi sint in alimentum sustentis pondus Sacerdotij, ac pauperum.

xxxiv. Ut decerneretur, singulis annis conuocandas esse Synodos Diocesanas, tertio quoque anno Prouinciales; in quibus ageretur præcipue de Ministrorum delectu, & de pœna delinquentium: & inter Concilia Oecumenica, vbi non intercederet impedimentum, decenne solum interuallum esset.

Hæc postulata expectatione moderatiora euasere, in quibus Religionis studium animaduersum est, & in multis etiam prudentiæ plurimum. Sed compertum quoque fuit, aliqua ex parte parum esse opportuna; ac præsertim in rituum mutatione, quâ nihil est Religioni periculosius, nihil eius auctoritati perniciosius. Ex altera parte optabilia magis quàm possibile visa sunt, & non congruentia hominum conditioni, quales natura procreat; & rerum statui, quem ferebant tempora: quod postea exemplo ipsius Galliæ comprobatum est, quemadmodum lectoribus patebit. Potissima Legatorum cautio fuit, ne dum ageretur de rebus vnde videbantur vincula posse iniici manibus Pontificis, impingeretur in seditiosam questionem de prærogatiua inter ipsum & Concilium; ac de eo

Constat ex
epistolâ Legatorum ad
Borromœum,
9 Ianuarij
1563.

Pars III.

R r

præ

Historia
Concilij Tridentini
lib. 19. Cap. 11.

1562.

1563.

^d Litteræ Fufcararij ad Moronum, 4 Ianuarij, & Iadentis ad Corneliū, 7 Ianuarij 1563.

præcipue fufius differuit Mantuanus cum Gualterio antequam ipsum dimitteret. Quin ferunt^d, inter alias petitiones, quas Oratores parauerant, & Lotharingus cum Gallicanis Episcopis impediterat, hanc haberi, quæ ad Monarchiam concutiendam tendebat: Ne Conciliorum sanctiones relaxationibus subiacerent; perinde ac si huiusmodi relaxationum, ipsi Principes frequentissimi maximeque ineluctabiles petitores non sint. Sed nouum non accidit, ut cuipiam res aliqua in vniuersum displiceat, eamdemque simul appetat in euentu peculiari.

CAPVT XII.

Vicecomitis aduentus Romam. Gonzaga & Medicus Cardinales creati. Pontificis consilia Bononiam se conferendi, eoque accersendi Synodum; sed contrarium Mantuani consilium. Adhibita à Nuntiis studia cum Hispania Rege; eiusque iussa Lunensi Comiti, & Gastellio, qui à secretis erat, data. Moderati piique eiusdem sensus de loco superiori. Lunensis à Pontifice ac Legatis per Scipionem Lancellottum inuitatus. Mandata ad Præsides scripta de ratione agendi cum Lotharingo, ac de discordiis componendis.

^a Litteræ Borromæi ad Legatos, 26 Decembris 1562.

^b Litteræ Borromæi ad Legatos, 30 Decembris 1562.

^c Litteræ Vicecomitis ad Legatos, 2 Ianuarij 1563.

^d Acta Confistor. & litteræ Vicecomitis ad Legatos, 6 Ianuarij 1563.

Vbi rescit Pontifex, Gualterium fuisse nominatum à Lotharingo, ut is quæ ipse mandauerat, Romam perferret, atque ab illo eum laborem libenter suscipi, non modò tamquam peridoneum Gualterium comprobauit; sed censuit, posse ipsum duplici fungi munere, Præsidium simul mandata gerendo. Quare per fiduciæ libertatem Vicecomitis accessum reuocauit, nisi discessisset. Sed iam ille iter faciebat, & Romam peruenit altero anni exitum die^b.

Facile ipsi fuit, suæ testificationis auctoritate, suæque linguæ efficaciam nubem omnem suspitionis, si quæ erat erga Legatos, ex animo Pontificis dispellere^c: quod tamen Pius in cunctis litteris, & suis & Borromæi, semper negauit. Atque huiusce tranquillæ animi sui non solum vocibus aperta prodidit argumenta Vicecomiti, sed magis paulò post factis primo Legato. Etenim sacro Epiphaniæ die, sibi que fausto, quo Pontificiam tiaram acceperat, generalem Cardinalium cœtum habuit, eisque^d duos primæ magnitudinis addidit; alterum, Fredericum Gonzagam, natum ex fratre memorati iam